

nium ut mortem nemini ei non anteponat. Loquentem audiamus Cuspinianum, loco cit. Servi itaque nihil aliud cogitant, aut nulla alia de re colloquuntur, nisi de consilio fugiendi. Heri hoc animadvertentes cibum subtrahunt ne viaticum parent. Raro autem fuga elapsi evadunt, praesertim qui ultra mare abducuntur. Plerumque enim aut morbo et inedia, aut fluminum profunditate, aut ferarum dentibus, aut opilionum contis pereunt, aut ad heros proprios quasi fugitivi retrahuntur. Valde namque solliciti sunt Turcae requirendi inveniendique profugos. Si retrahi contigerit, fiunt novissima illorum pejora prioribus. Prima vice duplicatur miseria. Si reducantur iterum, affliguntur sine ulla commiseratione, abscinduntur multis aures, nares vel labrae ut deformes appareant, ustulantur aliis pedum nervi. Omisit hic auctor flagellationem, cujus tanta est atrocitas, ut in Lotharingia indigenam unum post captivitatem annorum viginti tres opera et beneficio legati Franciae liberatum non viderim solum, sed saepe etiam sim allocutus, cui ictus unus oculum eruerat. Nam prima vice frustra fugere tentaverat, restitutus autem domino suo immani statim fuit verbere cruentatus. Idem referebat, hero cuicumque licere lege patria servum suum, qui tertio retrahitur privare vita perinde ac pecus domesticum. Sufficiunt haec spero, ut quam sit diabolica religio, et secta illa tota, nemo non videat.

Secundo, quia sunt potentissimi. Duo enim orbis imperia Trapezuntinum et Constantinopolitanum occuparunt, et praeterea majorem orbis partem pluraque in dies occupant: adeo ut nuper subacta majori Hungaria et Transylvania jam Germaniae, Italiae et Poloniae immineant, idque per christianorum principum dissidia et haereticum adminicula. His nostris malis illi crescunt, ac Christiani quasi excæcati id non vident aut non curant. Nonne Viennam Turca jam semel obsedit? Augustae et toti Germaniae, Venetiis et Italiae jam dudum minatus est, et imminuit?

VII. Pro defunctis: Sancta enim et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur, ait secundus Macchabæorum liber, cap. XII. Decretum est divinae justitiae poenas aliquas temporales a peccatoribus repetere etiam ab iis, qui in gratiam cum Deo redierunt, et peccatorum suorum remissionem quoad culpam sunt consecuti. At saepissime contingit, ut sub vitae exitu dumtaxat respiscant et in gratiam illam redeant, atque ita destituantur vitae spatio ad illas Deo pendendas idoneo; aliquis igitur admittendus est alterius vitae status in quo eas luant, priusquam ad beatas illas sedes admittantur, quibus flagellum non appropinquabit. Decedunt quoque pene omnes cum peccato

aliquo veniali, quale haud dubie cum veniale tantum sit, non potest peccatorem in infernum demergere; expiari interim debet ante ingressum illum in regnum caelorum, cum sit quoddam inquinamentum, et scribat Joannes, Apoc. XXI. nihil coinquinatum eo intraturum. Jam si datur status ejusmodi purgatorius, quomodo non incumbet charitati nostrae fuis ad Deum precibus, et sacrificiis, et pietatis operibus purgandarum ibi animarum poenas mitigare? Forte quia ejusmodi animae membra non sunt ejusdem cujus nos, Ecclesiae? Sed enim falsissima est ista suppositio, teste Augustino, l. XX. de civit. cap. IX. cum ait: « Neque enim piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia, quae etiam nunc est regnum Christi, alioquin nec ad altare Dei fieret illarum memoria in communi corpore Christi. » Hujus ergo doctrinae catholicae exemplum audiamus. Joannes Epiratus, in prato spirit. cap. XLIV. narrat de sene quodam, cujus discipulus negligens mortuus est. Contristatus ergo oravit et dixit: Domine Jesu Christe, verax Deus noster, revela mihi, quid sit circa fratris animam. Adspexit autem in excessu mentis affectus, fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad medium usque demersum. Tunc ait ille senior: Nonne te propter hanc poenam orabam, ut curam animae ageres, fili? Respondit frater, et ait seni: Gratias, ago Deo, pater, quod vel caput meum, requiem habet, per orationes enim tuas supra caput episcopi sto.

Sed haec satis sint, pro hoc loco. Plura alibi dicta. Superest nunc ut his precationum diebus memores simus illarum imprimis, quas diximus, personarum, etc.

CONCIO VII.

CAUSAE ET REMEDIA DISTRACTIONUM IN ORANDO.

- I. Distractiones praecedentes. — II. Occupationes. — III. Affectus inordinati erga creaturas. — IV. Corporis indispositio. — V. Oblivio Dei praesentis. — VI. Loci incommoditas. — VII. Humana fragilitas. — VIII. Consuetudo inveterata. — IX. Diabolus infestans.

THEMA.

Petite, et accipietis. Joan. XVI.

Si me quis interrogaret, auditores, quid facillimum unaque difficillimum sit in exercitiis spiritualibus, responderem absque mora et dicerem: Orare, facillimum inquam, orare: difficillimum devote et attente orare. Primum facile, ni fallor, patet; qui orare nihil admittit homini, nisi parum temporis. Caetera bona opera aut carni adversantur, ut jejunium, sobrietas, castitas, patientia, vigilia, etc. aut spiritui

ut humilitas, mansuetudo, etc. aut bonis externis, ut eleemosyna, hospitalitas, etc. Nihil horum offendit oratio. Quid enim facilius, quam petere aliquid a Deo? Denique ipsum optare coram Deo est orare. Alterum porro ostendere possum. Primo, ex S. Bernardo, qui aliquando iter faciens cum aliquo comite per occasionem conquestus est de cordis instabilitate inter orandum. Comes vero temere de se praesumens, nihil se ejusmodi pati asserebat. Bernardus itaque ut temeritatis eum convinceret, spondet illi equum suum, si dominicam orationem absque omni distractione percurreret; modo veritatem indicaret. Accepta conditione secedit alter letissimus, et quasi jam triumphans. Sed ecce vix orationem inchoat, et illico subrepat ei cogitatio talis: Num et sellam equo esset additurus Bernardus? Atque ita quod erat exponens, temeritatem suam arguit. Accedit abbas Agatho, qui dicebat, nulli spiritualium actionum plus inesse laboris, quam praecationi, quia dum illi intendimus, malignus spiritus se plurimum nobis infestum reddit, in vitis pp. pag. II. Itaque dum oramus, perpetuo in armis stare, si bene orare volumus, debemus, ac sicut Hebraei murum Jerosolymae reparantes, una manu tenebant gladium, altera faciebant opus, II. Esdr. IV. Sic nobis dum oramus, interim pugnandum contra occurrentes distractiones. Quod ut facilius impetremus, distractionum causas videamus.

I. Exurgunt distractiones in oratione. Primo, ex praecedentibus distractionibus, cum a negotiis saecularibus immediate ad orationem transimus sine praevia praeparatione; tunc enim nihil mirum si cogitationes illae temporales nobis adhuc inhæreant, quemadmodum nec mirum egredi e molendino, respersum aliqua albedine; vel recedentem a mari sentire adhuc strepitum maris in auribus. Remedium praebet Ecclesiasticus, c. XVIII. cum ait: Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. Qui fidibus canere vult, prius eas attemperat et concordat; alioqui molestus foret auditorum auribus; similiter qui cum rege loqui debet, prius quid et commodo loqui velit, considerat: alioquin si absque reverentia et discretione impertinentia et stulta loqueretur, absque dubio regis patientiam tentaret. Eadem ratio est: cum oratione. Cogita quid, cum quo et quomodo velis loqui. Quid? De re summi momenti et salutem tuam aeternam attinente. Cum quo? Cum caeli et terrae Domino. Quomodo? Compone omnia corporis membra ad pietatem; deinde, collige vires animi ad devotionem et attentionem. Imprimis vero propone tibi serio,

velle te cum summa attentione orare Deum; haec enim attentio virtualis durat per totam orationem, licet subinde distraharis, modo non volens exageris, nec evagationi des habenas, aut aliud interim agas, cum quo attentio stare nequeat. Antequam ejacularetur David lapidem in Goliathum, gyrauit prius fundam, ut sic imprimeret impetum lapidi, adeoque virtualiter manum suam. Idem fit per propositum attentionis, initio conceptum, quod virtute comitatur totam orationem, facitque eam salutarem.

II. Exurgunt ex occupationibus et curis familiaribus, quibus quotidie destinemur. Est enim mens nostra similis molendino, quod juxta frumenti affusi qualitatem, reddit farinam. Unde sicut non reddit triticeam farinam, si lolium molae infuderis; ita si tu per diem variis contractibus, litibus, commerciis, computationibus aliisque negotiis implicaris, et vix unquam Dei memor es, quam putas inde fieri farinam posse, nisi cogitationum alienarum et saecularium, ita importunarum, ut ne ad punctum quidem mentem in Deo figere possis? Remedium dat abbas Joannes, in collat. patrum cum ait: Quales in oratione inveniri volumus, tales extra orationem esse debemus. Igitur animum ab ejusmodi curis et occupationibus abstrahe saltem ita, ut ne illis te immergas, sed extremis quasi labris solum delibes. Hirundines marinæ suos nidos in modum rotundae pilae supernae tantum apertos, alioquin undique clausos conficere feruntur in littore maris, ut cum a fluctibus abripiuntur, secure supernatent, et nihil aquae subintrare et nocere pullis queat. Ad hunc modum constitutum esse cor nostrum debet, ut licet in mediis saeculi curis et occupationibus natet, semper tamen supernatet, et saeculo quidem clausum, caelo autem apertum sit. Prudens advocatus non admittit rusticos in suum conclave vel musæum, sed foras ad illos prodit, tum ne id commaculent, tum ne longiores ibi moras nectant. Sic etiam servandum saltem cor immune a curis saeculi, ut ne eas in cor admittas, sed quasi foras prodiens expedias, ac rursum ad cordis tui conclave redeas, uti fecit S. Bernardus, qui a pontificibus, regibus et principibus ad varias legationes evocatus e suo clastro corde interim semper in Deo fixus et quasi domi in cella sua erat.

III. Ex affectibus inordinatis erga creaturas: Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum, et ubi est cor tuum, ibi et cogitatio tua. Ut canis quem lactasti semper te insequitur et difficulter abigitur, ita res amata.

Remedium est excutere ejusmodi amorem et odium ejus concipere, adeoque canem baculis abigere, et cor in Deo figere. Cum aliquando S.

Franciscus texisset vimineum corbem, postea cum oraret, de illo cogitare cepit. Mox ergo projecit eum in ignem, dicens: *Non avelles me a Deo.* Idem nos dicamus quibuscumque creaturis, cum nos a Dei amore et servitio abstrahere conantur.

IV. Ex corporis indispositione. *Pinguis enim venter non gignit sensum tenuem*, ut scribit S. Hieron. ep. II. ad Nepotian. qua cibi et potus nimietate obruantur vires animi, et quodammodo ligantur, quominus officium suum præstare et in Deo ac divinis figuris se possint, sicuti artifex impeditur a suo officio, cum inundans aqua in officinam ejus penetrat. Hinc et ægroti difficile orant. Nimia etiam commotio eandem difficultatem parit.

Remedium est sobrietas, ut ostendit abbas ille, in vitis patrum, p. II. l. de humil. et pat. qui dicebat nunquam se in orando distrahi solere, quia nunquam ad satietatem indulgeret refectio. Idem præstat corporis quies.

V. Scribit S. Basilius, Reg. II. ex brev. inanimem mentis agitationem ex propria ipsius inertia nasci, quando rebus nihil necessariis se occupat nec recogitat, quod scriptum est: *Providebam Domino in conspectu meo semper.*

Remedium adhibet idem Basil. lib. I. hexam cum ait: *Quomodo obtinebit quis, ut in oratione sensus ejus non vegetet?* Respondet: *Si cogitet se assistere ante oculos Domini.* Atque ut hoc tibi persuadeas, cogita te, nisi scires Deum videre et audire orationem tuam, minime oraturum esse. Quanta vero attentione tu loquereris, si cum rege tibi sermo esset? *Cum observationibus loquitur pauper*, inquit, sap. Prov. VIII. *et dives effabitur rigide.* Quod si homines divites rigide respondent pauperibus etiam cum obsecratione loquentibus; quale responsum expectas a Deo, quando sine omni reverentia et attentione cum eo loqueris? Sufficit autem non scire, quod ab ipso videamur tametsi non videmus illum. Nam si dicatur cæco, ipsi adstare principem, certe mox ad gravitatem et modestiam se componet, licet non videat principem.

VI. Ex loci incommoditate. Difficilis enim est collectio in locis publicis. Unde S. Antonius si forte ab ortu solis in oratione deprehensus esset, de ejus luce conquestus dicebat: *Quid me impedit sol, qui ad hoc jam oritur ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate?* Refert Cassianus, collat. IX. cap. XXXI.

Remedium est, querere locum orationi solitariam, juxta id Matth. VI. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso super te ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Et hinc opinor, primi Christiani de nocte surgebant ad orationem, ut Paulus et Silas, Act. XVI. et alii

communiter teste Plinio, epist. ad Trajanum. Hinc Eustochio suadet et scribit S. Hieronymus: *Esto cicada noctium.* Claude deinde sensus tuos et cohibe ab evagatione, atque ita per cogitationem include te cellæ cordis tui. Vel ora in templo, ubi locus clausus, consecratus, sacris imaginibus descriptus attentionem et devotionem excitat.

VII. Ex humana fragilitate. Difficile est enim homini semper in eodem objecto firmare cogitationem. Quia de re queritur ipse S. Hieronymus, in dial. contra Luciferianos, c. VI. « Nunc creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fenore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam quæ dictu erubescenda sunt gero. »

Remedium est, vigilare contra ejusmodi distractiones et deprehensas mox abigere, animumque ad Deum revocare ac dolere de ejusmodi defectibus, qui meritum quidem orationis non tollunt, sed suavitatem. Deinde, cogitationem dicere cum Bernardo: *Propter te non capi, propter te non desinam.* Item facere crucem ante pectus, quoties occurrit extranea cogitatio; ea enim ratione ostendes tibi displicere illam; neque enim vulnerant ejusmodi distractiones nisi accedente voluntatis consensu, aut complacentia longioreque mora. Nec est cur perturbetur, si eas omnino evitare nequeas qui uti Pastor abbas ostendit euidam monacho, id tam impossibile est, ac ventos sinu constringere, in vitis patrum, p. II. lib. de discretione.

VIII. Ex inveterata consuetudine. Ut enim canis in aliqua domo nutritus, licet inde ejiciatur, mox tamen ad eam redit: ita mentis evagatio multo tempore admissa.

Remedium videtur pauca et lenta non prope-rante pronuntiatione orare, orationes proprio Marte componere, petere a Deo ante orationem gratiam attentionis, considerare, inconstantis et adhuc terreni animi esse indicium, tantum mentis et sensuum evagationem, cogitare quam sit grave, tentare hoc pacto Deum, juxta id: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, colligere se subinde adhibitis certis symbolis, etc.

IX. Ex diabolo, qui cupiens nos privare orationis suavitate et fructu, nihil aliud molitur, nisi ut nos externarum rerum cogitationibus occupet et distractionibus confundat, mane imprimis primas ingerendo cogitationes sæculares et negatorias, deinde cum orare incipimus. Id aliquando, Deo imperante, monstravit ipse dæmon Macario abbati Alexandrino, cui de nocte cellam ejus pulsans, jussit eum venire secum ad preces matutinas, et ostendit ei in choro fratrum parvulos Æthiopes, qui varie occupabantur in distrahendis fratribus ab orationis

devotione. Aliis contingebant palpebras, et somnium conciliabant: aliis immittebant in os digitos, et oscitare eos faciebant: aliis insiliebant in humeros, et tædio officii prægravabant: alii in ædiculis extruendis se occupabant: alii in veste feminea aliud nugabantur: alii denique a quibusdam ferventibus strenue repellebantur. Quibus gestulationibus visis Macarius contristatus, vocavit ad se monachos illos et deprehendit iisdem nugis fuisse in choro occupatos sub divino officio, ut ostenderat ei dæmon, sicque errores eorum reprehendit et correxit. Refert Evagrius in Macario.

Remedium est mundare conscientiam a pravis inclinationibus. Item principis distractionum obstare, et primo, earum aspectu caput serpentis conterere, contemptu et delestatione earum. Denique, ejusmodi diabolicas suggestiones aperire confessario. Non vult prodi dæmon, nec sustinet contemptum. His ergo et similibus armis, ipsi maxime contrariis, aggrediendus et pellendus est. Denique: « Noli tristari aut mœrore ullo affici, inquit Climacus in scala paradisi, si dum oras, subtilissime inimicus irrepit, animique intentionem clam ut fur averit, sed bono animo esto, dum semper lubricam revocas mentem. Angelis enim solis datum est hujusmodi non patere furibus. » Ut ergo Abraham volucres a victima subinde advolantes continuo abegit, Gen. XV. ita nos cæcædæmones orationi nostræ insidiantes abigamus.

Denique, univrsale remedium oratio orationi est, quo modo clavum clavo pellimus. Qui ergo nondum recte orare novit, postulet hoc donum a Deo, qui ait: *Petite et accipietis*: et Zach. XII. *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem* (id est, Ecclesiæ) *spiritum gratiæ et precum*, quem et nobis largiatur Deus qui est super omnia benedictus.

CONCIO VIII.

FRUCTUS INCARNATIONIS ET PASSIONIS CHRISTI.

- I. Christus illuminavit nos. — II. Exemplo suo duxit nos. — III. Gloriam nobis comparavit. — IV. Merita justitiæ nobis paravit. — V. Dæmonem compescuit. — VI. A morte nos eripuit. — VII. Bonis omnibus nos cumulavit.

THEMA.

Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Joann. XVI.

Hebdomas hæc, auditores, a supplicationibus in ea fieri consuetis, nomen habet. Eas vero supplicationes recte institimus, tum ob alias causas, tum ob ea imprimis, quod Salvator

noster ipsemet miram quamdam processionem instituit et peregit, cum e cælo in terram, indeque rursus ab cælo ivit; quomodo scilicet nos a propria Ecclesia ad externam alterius loci supplicatum imus, et inde ad propriam redimus. Hanc suam processionem describit nobis in hodierno evangelio cum ait: *Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Porro hæc Christi peregrinatio seu processio plurimos et maximos mundo fructus attulit, quos in nostris supplicationibus jure merito expendere sedula meditatione deberemus. Eos igitur hoc loco proponere decrevimus.

Beneficia et fructus Dominicæ incarnationis et passionis videtur olim Deus depingere voluisse per angelum Raphaelem, quem miserat Tobis, ut eum duceret et reduceret in sua peregrinatione. Hujus enim beneficia recensens patri Tobias, inquit: *Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eam repleti sumus.* Tob. XII. Eadem hæc beneficia sed in re majore et modo eminentiore præstitit nobis Christus.

I. Patrem nostrum illuminavit et lumen cæli videre fecit. Pater noster Adam est, totaque ejus posteritas, quæ per peccatum admissum, velut per sterco diabolicæ hirundinis cæcata et in tenebras insipientiæ et errorum depulsa fuit, ita ut lumen cæli, id est, beatitudinem suam, finem ultimum ac creatorem suum minime agnosceret, sed pro eo lapides et ligna coleret, mundi illecebras et carnis cupiditates velut bestia sequeretur. Audi S. Augustinum, tract. II. in Joannem, « Carnalis anima, inquit, facta erat consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus mentis cæcatus; Verbum caro factum est, medicus iste fecit collyrium, etc. » Nimirum quale olim fecit ex luto et sputo ad inungendos cæci nati oculos, quo significabatur naturæ divinæ cum humana unio hypostatica, Joann. IX. Ergo sua incarnatione Christus Adamum seu mundum illuminavit, dum viam cæli docuit, dum cælestium bonorum magnitudinem, gehennæ cruciatus, peccati gravitatem, virtutum pulchritudinem, animæ nostræ dignitatem aliisque innumera ad salutem nostram pertinentia cerneret fecit. Imprimis vero ad hæc videnda illustravit mundum felle, id est, amaritudine suæ passionis (uti alibi ostendimus.) Quamobrem S. Chrysostomus, de Adamo in Calvarie monte sepulto intelligit prophetam illam, quam affert apostolus, ad Eph. V. *Surge qui dormis, et*

exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Nos enim qui in Adamo mortui, cæcati et sepulti quodammodo eramus; per Christi passionem iterum suscitati et illuminati sumus. Sane philosophi olim post multa multorum annorum studia vix tandem aliquam de Deo cognitionem consecuti sunt, eamque non sine maximis admixtis erroribus: modo vero simplex anicula absque illo studio e solo crucis mysterio exactam sibi Dei et rerum divinarum ad salutem pertinentium cognitionem comparabit.

II. Duxit nos et reduxit; quia exemplo suo nos præeundo ad virtutem et omne bonum accendit atque animavit. « Vidit enim Deus (verba sunt cardinalis Bellarmini, de ascensione in Deum, grad. XIII.) necessarium esse generi humano contra insidias diaboli contemptum temporalium bonorum, voluptatum carnis, affluentiae divitiarum, gloriæ mundanæ et similium quæ sunt laquei diaboli et captivos demergunt in interitum et perditionem.

« Quid igitur excogitavit, ut ista hominibus amarescerent, et contraria, id est, castitas, paupertas, humilitas, patientia, contemptus denique mundi dulcescerent? Descendit ipse de celo, et, forma servi suscepta, medicamentum necessarium homini ægroto, sed amarissimum et horrendum, ita exemplo suo dulce et suave reddidit, ut multi jam homines magis ament jejunium quam crapulam, paupertatem quam divitias, virginitatem quam conjugium, martirium quam delicias, obedire quam imperare, contemni quam honorari, subesse quam præesse, humiliari quam exaltari. Quis enim videns Deum, in forma humana plenum sapientia et gratia, et qui nec falli nec fallere potest pauperem, humilem, patientem, continentem, et quod mirabilius est, pro redimendo humano genere, cruci affixum et pretioso effuso sanguine voluntarie et ex ardentissima charitate morientem, non animetur et excitetur ad imitandum? » Si enim exemplum Othonis imperatoris qui seipsum interemerat, potuit efficere, ut eodem modo milites ejus se quoque interficerent ad rogum ejus, æmulatione decoris et charitate principis, ut scribit Tacitus, lib. II. si hoc, inquam, potuit factum principis insanum, cur exemplum Christi seipsum mortificantis et humilientis sapientissimum et laudatissimum non accendat nos ad sui imitationem?

III. Uxorem nos habere fecit, per quam intelligere possumus beatitudinem cælestem, quæ dum hic a nobis habetur in spe per gratiam, sponsa nobis est: cum vero ibi habebitur in re per gloriam, uxor nobis erit. Unde Apoc. XXI. cælestis Jerusalem seu gloria beatorum vocatur sponsa et uxor agni. Sic Gen. XXIX. Jacob acci-

pit in sponsam primo Liam, deinde Rachelem. Illa gratiam, hæc gloriam notat; quia illa minus decora et lippa, hæc formosa et oculata. Hanc vero etiam nos per Christum obtinuimus, qui eam nobis testamento suo legavit, in quo nos cæli hæredes fecit. Et hoc ingerit nobis vox, *Testamentum novum*, qua legis novæ promissionem et gratiam indicamus. Hanc uxorem desponsavit Christus latroni in cruce, cui dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*: hanc ipsi et patribus limbi illo ipso mortis suæ die tradidit: hanc eodem die nobis omnibus aspectandam et desponsandam proposuit, cum velum templi scidit et sancta sanctorum patere facit: hanc denique olim patribus per umbram quamdam ostendit, quando Noe in arcam ingresso secuta est ingens pluvia, diluvio terram obruens, in quo area est et requievit supra montes Armeniæ, Gen. VIII. Hoc enim significabat gratiam pluviarum Dei Filio ingresso in virginem, in terram e celo effundendam, qua Ecclesia eveheretur ad quietem æternam et cælestem. Nemo ante Christum ambire vel per somnium audebat tantam sponsam hæreditatem regni cælorum, quam tamen post et per illum omnes nunc ambimus. Unde S. Hieronymus, ep. CXXIX. *Et mihi, inquit, in evangelio promittuntur regna cælorum, quæ instrumentum vetus omnino non nominat.*

Hoc ipso etiam gaudium parentibus nostris fecit; quia Deum prius nobis iratum reconciliavit et patrem nobis nosque filios ejus constituit; deinde, ob dæmonis in nos tyrannidem quodammodo perturbatum, rursus serenavit et una cum tota curia sua cælesti lætificavit, juxta id: *Gaudium est in celo super uno peccatore penitentiam agente.* Hinc angeli in ejus natiuitate hymnum cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus*; in ejus resurrectione et ascensione vestibus albis tamquam festiuis induti apparuerunt. Quare sicut Jona in mare jactato, stetit mare a furore suo et facta est tranquillitas, ita Christo passo et mortuo, ira Dei desiit sævire in genus humanum, et Dei favor atque amicitia id amplecti cœpit. Non lætatur Deus in morte et perditione impiorum, sed in eorum potius conversione et salute.

IV. Pecuniam nobis paravit, id est, merita justitiæ, quibus gratiam augere et gloriam cælestem mercari possumus. Hæc sunt illa talenta et minæ data nobis a Domino nostro ad negotiandum, Luc. XIX. et Matth. XXV. Porro sicut Raphael ad recuperandam Tobię pecuniam solus ivit in Rhages, Tob. IX. ita etiam Christus ad paranda nobis merita et gratiam solus ivit in passionem et mortem (Rhages enim tempestatem significat; et quid aliud Christi passio fuit?)

ad hæc quemadmodum Raphael Gabelo chirographum suum, quo is Tobię obligabatur ad solvenda decem argenti talenta, restituit, ita etiam Christus chirographum peccati, quo justitiæ divinæ obligabamur ad solvendas pœnas æternas, delevit et cassavit donans nobis delicta, teste apostolo ad Col. II. *Delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Delevit autem peccatum primo, quia pro peccatis hominum satisfecit, ita ut pœnam salutem æternam a penitentibus amolitus sit. Secundo, quia idololatriam sustulit et dæmonem peccati incentorem compescuit. Tertio, quia peccato bellum indixit, ut jam undique vituperetur, pellatur, puniatur, etiam ab ipso penitente, qui id patrarat, quod antea non fiebat. Est enim: *Christianismus mors criminum et vita virtutum*, aut ait S. Cyprianus, lib. II. ep. II. ad Donatum. Quarto, quia gratiam et sacramenta nobis paravit, quibus id præcavere et facile superare possumus. Hinc Daniel, c. IX. prædixit, in adventu Messię consummandam esse *prævaricationem*. Et forte eo respexit Dominus, cum in cruce moriens dixit: *Consummatum est.*

V. Dæmonia impediencia nos a consecutione beatitudinis et tyrannice nobis dominantia compescuit, nosque in paternam Dei protectione, a qua excideramus, constituit. Testatur etiam hoc apostolus paulo ante citato, cum subdit: *Et expolians principatus et potestates* (id est, spolians dæmones sua potestate, dominio et tyrannide in homines, chirographo peccati sibi obligatos et subditos) *traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, Græce, habetur, in ipso, scilicet cruce, de qua paulo ante locutus fuerat; et ita legit Origenes, hom. VIII. in Jos. ubi docet dæmonem in cruce fuisse crucifixum invisibiliter, dum in ea Christus crucifixus fuit visibiliter; quomodo in eodem curru triumphali superne sedet imperator triumphans, inferne alligatus trahitur hostis triumphatus. Dum ergo Christus sponte et ad tempus crucem ascendit, dæmonem invitum et in æternum ejus opprobrium, crucifixus, dum eum potestate sua exuit, et omnibus etiam pueris et feminis vincendum et illudendum exposuit. Audi card. Bellarminum libello et loco supra citato: « Diabolus, inquit, qui ad tempus exultavit, ob devictum ac prostratum a se primum hominem, multo majorem tristitiam habuit de victoria Christo hominis, quam fuerit prior exultatio. Ex victoria enim Christi factum est, ut jam non solum viri, qualis erat Adam, sed etiam parvuli et feminæ diabolo insultent, ac de ipso triumphant. Non fuisset turpe diabolo vinci ab Adamo in paradiso, quando carebat ignorantia et infirmitate, et

armatus erat justitia originali, quæ partem inferiorem rationi ita subiciebat, ut rebellare non posset, nisi prius mens ipsa Deo rebellis existeret. At nunc vinci diabolus ab homine mortali peregrino, ignorantia et concupiscentiæ obnoxio, summum dedecus est. Et vincitur tamen per Christi gratiam, et ita vincitur ut multi trophæa charitatis, patientiæ, humilitatis, castitatis erigant, quamvis diabolus ignita jacula sua tentationum et persecutionum assidue jaciat. « Dicet aliquis: Si diabolus crucifixus est, quomodo adhuc tot fidelibus prævalet? Resp. ad hoc Origenes superad. hom. VIII. cum ait: *Intelligendum est, quod diabolus victus est quidem et crucifixus, sed iis, qui cum Christo crucifisci sunt.*

VI. Nos a devoratione piscis, id est, mortis, eripuit, quia meruit nobis resurrectionem a mortuis et liberationem a gehenna, quæ est mors secunda, Ap. XX. et XXI. Illam sortientur omnes, hanc electi tantum. Utramque indicat Oseas, c. XIII. cum ait in persona Christi: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.* In quem locum S. August. hom. CCXXXVII. de tempore, et ex eo S. Gregorius, hom. XXII. in evang. ait: « Id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit: ex eo autem, quod mordeamus, partem abstrahimus partemque relinquimus: quia ergo in electis suis funditus occidit mortem mors mortis extitit: quia vero ex inferno partem abstulit et partem reliquit; non occidit funditus, sed momordit infernum, etc. » Porro sicut Raphael piscem illum, qui devorare nitebatur Tobiam, edomuit, et animum Tobię addidit ad eum apprehendendum, præcipit insuper exenterandum, et in medicamenta adhibendum: ita etiam Christus non solum mortem domuit, cohibendo ejus fauces ne devoraret et perderet homines, sed insuper audaciam nobis tribuit, alacri et forti animo mortem aggrediendi, fecitque ut ea nobis in meritum et animæ salutem cederet.

VII. Denique, bonis omnibus nos replevit. Hujusmodi est in primis thesaurus meritorum Christi perpetuus et inexhaustus, quo toties, quoties relabimur, recuperare Dei gratiam et peccatorum remissionem possumus: et quidem modica adhibita opera contritionis vel saltem attritionis cum sacramenti susceptione; lucrari indulgentias, etc. deinde s. eucharistia, fons omnis gratiæ, et missæ sacrificium. Ad hæc perpetua pro nobis interpellatio apud Deum Patrem et paternam ac singularis protectio. Rursum dona Spiritus s. et virtutes supernaturales. Accedunt redditus ecclesiasticorum, eleemosynæ pauperum, pax et tranquillitas Ecclesiæ, victoriæ de impiis et rebellibus, etc. ut plane dicere pos-